

www.e-rara.ch

Gothofredi Guillelmi Leibnitii - opera omnia

Philosophia in genere, & opuscula sinenses attingentia - Historia & Antiquitates ; Jurisprudentia

Leibniz, Gottfried Wilhelm
Genevae, MDCCLXVIII. [1768]

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 10306: 4

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-46133>

XV. epistolae ad Henricum Ernestum Kestnerum [...].

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



XV. EPISTOLÆ

A D

HENRICUM ERNESTUM KESTNERUM

Juris in Academiâ Rinhelensi Professore.

Ex Kortholti collectione deprompta.

EPISTOLA I.

I. Magna emendatione jurisprudentia civilis indiget. II. Quomodo hæc jurisprudentiæ correctio instituenda?

I. EXcursunculæ in Westfaliam fructum non exiguum cepi, notitiam tui, viri præclari ac mihi dudum æstimatissimi, quem bona quædam fortuna Detmoldiæ obtulit. Accessit cumulus ex litteris tuis humanissimis quibus præclare cogitata de emendandâ jurisprudentiâ & decennalium in Jure laborum indicem adjecisti, ex quo intelligo, quàm paucula tuorum ad me pervenerint, quæ tamen semper cum fructu & voluptate legi. In summa autem tecum sentio; sensique semper, magnâ jurisprudentiam nostram reformatione indigere. Quum jure sæpè incerto, non rarò etiam iniquo utamur. Leges romanæ, ne quid jam dicam de canonicis, pro basi habentur juris nostri, quibus standum sit, ubi aliud usu introductum non est. Sed quàm multa in eo obscura, perplexa inutiliaque sint, quam ipsa suâ magnitudine laboret, nemo nescit. Sed difficilius adhuc est, definire, quid ejus abrogatum sit, vel potius non admissum? Equidem mutatâ penitus Republicâ moribusque, ad veteres Germanicarum gentium leges redire, in quibus multa admodum sunt barbariei vestigia, fuerit inventâ fruge glandibus vesci. Video etiam alicubi ubi patriæ leges solæ, exiguis voluminibus comprehensæ pro normâ sunt, breviores quidem esse Decisiones, sed sæpè deteriores, quando nec volumina illa satis ad normam æquitatis exacta, plerumque etiam in comprehendendâ casuum varietate valde

hiulca sunt. Ita res passim ad arbitrium iudicis redit, vel pravum affectu aut lucri cupiditate vel præceptis imprudentiâ, uti illud gallicum proverbium habet: *Fol juge, prompte sentence.*

II. Non malè in Germaniâ passim provisum est, ut acta mittantur ad collegium non suspectum nec partibus cognitum. Ita spes foret æqui iudicii, nisi jure incerto & formâ iudiciorum laboraremus. Equidem ordinem processus reformare non foret difficile, & lites contrahere saltem in Principis ditione, qui hoc vellet. Neque enim aliud est iudiciarius processus, quàm quædam logicæ artis accommodatio ad causas mixta cum cogendi potestate. Sed juris incertitudini mederi difficilior est: Cogitavi aliquando, si Jurisconsulti celebres Germaniæ studia communicarent, posse aliquid confici, quod postea Domini non difficulter comprobarent. Sed multi ex eorum numero, quibus est auctoritas, incertitudine juris in sinu gaudent tacitè, quod indè amplissimam & ditissimam habeant messëm casuum pro amico. Aliquando velut tabulas quasdam brevissimarum legum concepi animo, ad speciem decemvirarium Romanarum, in quibus simul eluceret æquitas & comprehensio, omni casuum varietate per rationum amplitudines tamquam indagine cincta, ut nullum esset allegationis, id est actionis, exceptionis, replicationisque cujuscunque caput, cujus fundamentum in iis tamquam in albo Prætoris, digito monstrari non posset. Quod si aliquando perficiendi otium fuerit, ubi labore quodam defunctus fuero, communicabo, cum intelligentibus talium viris insignibus, tecum imprimis, ut specimen aliquod ad posteros extet, quo excitari ad meliora possint. Cæteroque ego, Digestorum opus, vel potius auctorum unde excerpta sunt labores admiror, nec quidquam vidi, sive rationum acumen, sive dicendi nervos species, quod magis accedat ad mathematicorum laudem. Mira est vis consequentiarum, certatque ponderi subtilitas. Quanquam non ideo conclusiones semper probem, quæ sæpè ducuntur ex quibusdam veteris persuasionis apicibus opinione consecratis, veluti quod nemo possit pro parte testatus intestatusque discedere, quæque alia sunt id genus multa, non æquitatis sed formulæ partus. Sed prolixior de his sum, quàm constitueram. Quod superest vale & fave. *Dabam Hanoveræ 5. Sept. 1708.*

EPISTOLA II.

I. De Ph. Burcardi libro de juris defectibus. De Parallelis Juris naturalis & civilis, & de pacto nudo. II. De Danicis legibus. III. De præscriptione.

I. Dissertationem tuam de juris communis defectibus in Republicâ Germanicâ cum doctissimis litteris tuis accepi, & pro munere
eximias

eximias gratias ago. Inspexi statim, visusque sum multa rectè & utiliter monita animadvertere: sed opus lectionem attentam postulat. *Philippi Burcardi* quod adjecisti, similis argumenti opusculum videre antea non memini, nec autorem novi. Sed nec vidi Compendium tuum juris universi, quod tamen quæram. Parallela juris Naturalis & Civilis imprimis optanda forent. Essent tamen in eam rem dubia quædam certis rationibus definienda: exempli gratia, de pacto nudo, quod in literis attingis. Sanè nulla ratio efficit, ut omne pactum nudum præcise adimplendum sit; cum scilicet nulla subest causa debendi, nullus fons obligationis in rebus ipsis. Equidem promissis alios ludificans, injuriarum tenetur naturæ jure: qua actione generatim complector læsionem alienæ tranquillitatis, oppositam læsioni patrimonii: atque hanc rationem jam olim in *Methodo* reddidi. Sed nec imprudentiam hac in re planè impunè feret ineptus & levis pactator in alios peccans; dabitur enim actio quasi injuriarum. Sed etsi omnis culpa absit, paciscens indemnitatem quandam ei debet, qui pacti fiducia ad aliquid sibi noxium inductus est. Sed in his omnibus *συνάλλαγμα* subest. Ut verò ex nudis verborum laqueis ad exitiosas rebus suis præstationes teneatur aliquis, adeo non admittò, ut coercendum etiam putem aliquando, tanquam insidiatorem vel calumniatorem, qui inde in aliorum perniciem grassatur. Nec video, quomodo ex natura voluntatis ab uno declarata, ab alio acceptata, demonstrari possit, necesse esse, ut alius fiat locupletior ruina rerum tuarum. Respublica certè tueri homines etiam contra se ipsos debet, & cavere, ne rebus suis utantur pessimè, & cum everfione familiarum. Itaque neminem ex nudis verbis teneri puto ultra id, quod commodè facere potest, aut ad id, quo sibi, quo suis valdè incommodet. Ceterum de minoribus in pactum deductis lex civilis per compendium rectè statuere poterit, ut ex pacto exigantur, ne in re parva discussione difficili de *συνάλλαγμα* seu de læsione vel tranquillitatis, vel patrimonii opus sit.

II. Multa olim videre visus sum, quæ ad Danicas leges (cum in Latinum translatas nactus sum) moneri possent. Codicis etiam Ludovici constitutiones in multis haud placuerunt. Quod Romani ad Testamenta probanda duobus testibus contenti non fuere, haud omnino ineptè fecisse videntur. Constat passim falforum testium non exiguum esse proventum, & totius patrimonii translatio visà est digna cautione majori.

III. Tecum sentio per præscriptionem jure naturæ actionem non tolli: neque præsumtionem derelictionis, id est, jactati juris sui agnosco; neque enim si furem, si rem amissam persequi desino, juri meo renuntio. Aliquando tamen quoddam præscriptionis succedaneum locum habet. Nam sæpe fit, ut quidam actiones suas sive studio, sive neglectu,

tu, five etiam casu, in longa tempora differant, quibus rerum notitia intercidere solet. Ex eo igitur capite exceptionem dari puto rei obscuratæ. Habes quædam principia Jurisprudentiæ meæ.

De successione Ducatus Brabantini altiore discussione opus foret, ex Historia & jure locali. Quod superest, vale & fave. *Dabam Hanoveræ 21. Septemb. 1708.*

EPISTOLA III.

I. Pacta quousque servanda sint? II. De patrimonii donatione inter vivos. III. De Thomasi opusc. de feudis.

I. **D**iu absens domo, nunc demum literis tuis ante aliquot menses missis, & inter alias repertis respondeo, quod rogo, ut boni consulas. Ut quæ semel, serâ quantumvis voluntate, placuere, semper placeant, non potest exigi in rebus humanis, non magis quàm pontificia votorum observatio. Non faciliè admittendum est, ut acta inania reddantur, potest hoc tamen magna ratio exigere, & tunc sufficit, eos, quorum interest, indemnes præstari, ita nemo habebit, cur queratur: Damnum autem hic latius fumo, & illud quoque computo, ne illusus videatur, cui non servatur data fides. Deus promissâ inviolabiliter servat, quia errori obnoxius non est. Ceterum, ut dixi, non de simplici substantiæ diminutione agitur (ubi præstat damno puniri imprudentem, quàm longa ejus quod interest, discussione utrumque) sed de magna jactura, ubi injuria est imprudentiæ pœna, præsertim si alter non nisi de lucro certet. Itaque hic non valet illud jactatum: imputet sibi qui erravit. Jura ad servandos, non ad perdendos homines nata sunt. Atque hic quoque summum jus summa injuria foret. Constat etiam alias subinde non malè receptum, ut non teneantur homines nisi in quantum facere possunt. Ex his opinor intelligi potest, post tot præclaros de jure naturæ labores non pauca adhuc monenda superesse: Et qui in rationem regulæ inquiret, quod pacta sint servanda, faciliè deprehendet, quousque valeat.

II. Romani bene ad testamenti factionem numerum testium solito majorem voluere; melius fecissent, si idem etiam in aliis magni momenti negotiis, velut patrimonii donatione inter vivos exegissent.

III. Amplissimi Thomasi nostri opusculum de feudis non supinè scriptum est, & multa habet auctore digna, ne quid de prima editione veteris libri dicam. Dominum *Kempferum*, egregium Medicum & peregrinatorem ex Batavis redissè puto. *Dabam Hanoveræ 17. Martii 1709.*

EPISTOLA IV.

De Kestneri Prælimin. Juris Hassiaci in Ducatum Brabantia, & de Blondelli scripto de success. Neap. & de libro Puteanor. de juribus Regis Gallia.

Dissertationem tuam eruditam, præliminaria juris Hassiaci in Ducatum Brabantia tractantem, de qua sententiam meam quæris, legi cum voluptate & fructu. Viris doctis & Principis sui amantibus, jura ejus conservare in memoria hominum, & proferre ad posteros, vitio verti non debet. *Tremollii* Duces, etsi non ex Principe domo, tamen invenere, qui successionem illis Neapolitanam scripto vindicaret, quod in congressu Westphalico distribui curavere; autorem *Davidem Blondellum* fuisse comperi. Nuper fuit, qui Domui Saxonicae successionem eandem dissertatione asseruit; alius *Juliaco-Clivensium* Ducum titulos in Geldriam renovavit. *Puteani* fratres, viri eruditionis & probitatis opinione præstantes, magno volumine, nec sine eruditionis apparatu, jura, quæ vocant, Regis Gallia in multas terras aliis possessas explicuere. Et verò si non armis sed rationibus agatur, viaque judicii, aut arbitrii, aut amicæ transactionis ineatur, culpari hæc cura non potest. Sed, ut ad argumentum tibi tractatum veniam, meritò intra præliminaria nunc stetiisti, pro modulo dissertationis Academicæ: & licet egregium jam specimen dederis, ad rem tamen totam pro dignitate explicandam, insigni ex Archivis, ex Historia, ex ipso denique jure apparatu comportato opus erat. Et pleraque tibi non deesse aut certè non defore apparet, sed non erant hujus loci. *Henricum* Primum ejus nominis Hassia Landgravium, *Henrici II.* Brabantia Ducis, ex altera conjuge *Sophia Thuringa*, filium fuisse convenit inter omnes. Devolutionis, quod vocant, jus non ita pridem Gallis pro filiabus ex primo matrimonio contra liberos ex secundis nuptiis natos, eorumque posteros jactatum, meritò cum *Stockmanno* Jcto Brabantino explodis. Brabantia Ducatus successio jure feudorum Imperialium, non privatorum consuetudinibus, aut statutis locorum regitur. Quod verò in Anglia, Hispania aliisque nonnullis regnis filia masculos collaterales excludant, hoc apud Brabantinos nullo exemplo ante factum quod refellis, defendi potest, nec rationes hæcenus apparent, quibus nitatur. Et mirantur, qui Historias legunt, posteritatem *Henrici Primi* Hassi in *Henr. Ferreo* nepote ipsius a *Johanna Johanne III.* Brabantino (eiusdem Primi *Henrici* fratris majoris pro nepote) nata, successione fuisse privatam A. D. 1355. Nupta erat *Johanna Wenceslao*, Duci *Luzelburgico*, fratri *Caroli IV.* Augusti; cumque sine liberis decessisset A. D. 1406, neglecto

iterum Hasslo (qui tunc erat *Hermannus* ex *Henrici Ferrei* fratre natus) ad alterius sororis posteros itum est. Nempe *Johanna* soror *Margareta* nupta erat *Ludovico*, Comiti Flandriæ, & eorum filiam matri cognominem duxerat *Philippus* Burgundiæ Dux *Caroli V.* Galliarum Regis frater, natusque inde *Antonius Johanna* successit. Ita Flandria pariter ac Brabantia Burgundiæ accrevit; tantaque fuit Burgundi potentia & negligentia vicinorum, ut *Ludovicus* Hassiæ Landgravius *Hermanni* filius frustra in eum armarit. Multa tenebrosis illis temporibus pro jure obrepere, quæ hodie non concederentur. Simili planè prætextu eodem fere tempore Brunsvicenses Duces, *Carolo IV.* Imperatore adversarios etiam fovente, Luneburgicis ditionibus pulsos constat, quas ægrè recuperavere. Ista succedendi ratio filiabus contra familiam favens, talis profectò non est, ut valere debeat, nisi ubi ritè introductam certò constat. Quod *Philippus* Rex Romanorum egit, Philippinæ constitutionis nomine, ut memoras, citatum, id meo judicio non constitutio est, sed pactum, A. D. 1207. cum *Henrico* Brabantiæ Duce initum, quo Rex rem filiarum suarum agit, quam Ducis filio destinabat. Cavetur enim, ut ipsis, de quorum conjugio agebatur, mortuis, *proles*, SICUT JUSTUM EST, in legitimam parentum succedat hæreditatem: non ergo jus novum constituitur, sed vetus, qualecunque erat, firmatur. Duo potissimum tibi objiciuntur, sed ambo odiosa, & magis restringenda quam amplianda: Renuntiatio *Henrici* Primi, Hassiæ Landgravii, & præscriptio remoti temporis. Quantum liberis cæterisque descenditibus noceant renuntiationes Principum, agitatissima quæstio est. Equidem eorum, qui jam exstant, consensus meritò exigitur: de posteris fatendum est, nullas Transactiones aut pacificationes umquam certas ac firmas fore, nisi essent aliquando graves causæ, ob quas juri eorum futuro derogari possit. Tibi ea discussione non est opus. Inspecta enim renuntiatione illa *Henrici* Landgravii, Bruxellis A. D. 1297. in literas redacta, qualem Brabantini producunt, planè eam nihil ad rem facere deprehendo: neque enim renuntiat ille juri successionis in Ducatum Brabantiarum, cujus nec casus evenerat, nec mentio ulla fiebat; sed juri tunc controverso, de quo cum *Johanne I.* Duce Brabantiarum, filio fratris natu majoris, ipsi lis erat; nempe actioni in certa bona allodialia, hæreditaria & noviter acquisita (*en aucuns allois, en aucuns héritages, & en aucuns acquêts*). Ineptum ergo fuerit renuntiationem ad ea extendere, de quibus non quærebatur. Restat de præscriptione temporali disputatio. Finis hujus præscriptionis est, & communi Jurisconsultorum sententia, ne dominia rerum sint in incerto, litesque immortales. Ea res movit Legislatores, ut tempus actionibus præscriberent, quemadmodum appellationibus aliisque juris remediis fatales terminos præscribere potuere. Sed si de mero jure naturæ agatur, non sufficit ali-

quid

quid utiliter confitui posse, ut ideo constitutum intelligatur, nec natura ullum certum annorum numerum definire potest. Itaque, si hujus folius dictamen sequamur, alio definiendi temporis principio opus est. Plerique ergo ad præsumtam derelictionem cum *Hugone Grotio* summo viro confugiunt: sed præsumta derelictio non facile locum habet, quia nemo suum jactare præsumitur. Ubi verò probata derelictio fuerit, jam non tempore sed remissione elisa erit actio; neque adeo præscriptioni temporali locus erit. Itaque unum jus naturæ sequendo, hanc præscriptionis temporalis rationem invenio, quòd longa actionis dilatione rerum notitia amittitur. Ita facile fieri potest, ut actor fundamenta juris sui conservet, reus autem nullam actionem expectans, exceptionum suarum fundamenta amittat. Itaque jure naturæ præscriptio temporalis nihil aliud erit, quàm exceptio rerum per moram obscuratarum. At verò in causis Principum hæc exceptio non ita crebrò locum habet, cum partim Historiæ, partim Archiva, rerum non remotissimarum memoriam servent. Sanè Brabantini actionem ab Hassò expectare potuerunt: Itaque conservare debebant, quibus elideretur; & certè renuntiationem illam supradictam, quam profuturam credebant, conservare. Suspicio ipsum, *Henricum Ferreum* movisse aliquid, protestatumque de suo jure fuisse, ubi primò mortuo *Johanne III.* Brabantino dies ei hereditatis cessit; quod fortasse Archiva suppeditabunt. Cæterum quæ jura sint præscriptionis inter Principes Imperii, tum quæ olim fuerint passim jura successionis in Principatibus, altioris rem indaginis cenfeo: ita tamen ut probandi onus in adversarios tuos transferatur, ubi a jure communi feudali naturalique recedunt. Cæterum non dubito, quin tu argumentum porrò, si res ita ferat, juris & Historiæ luminibus egregiè sis illustraturus. Vale. *Dabam Hanoveræ 18. April. 1709.*

AD DOMINI PROF. KESTNERI PRÆLIMINARIA.

Ad §. 1. *Sophia Henrico* Magnanimo Duci Brab. nupta non fuit unica gnata s. filia *Stæ. Elisabethæ*, hæc etenim tres filias reliquit, quarum *Sophia* primogenita fuit, reliquæ duæ in Monasteria, *Altenburgense* juxta *Wetzflamiam*, & *Kitzingense* missæ sunt.

§. 10. Mallem, ut vocabulum *Brabantia* omitteretur, & in ejus locum *Comitatus Lovaniensis* reponeretur, cujus revera Comes existit *S. Ansfridus*: Filius enim fuit *Lamberti* Comitis Lovaniensis adhuc anno 948. florentis, qui in eodem Comitatu successit usque ad annum 992. quo monachus, & deinde anno 994. Episcopus *Ultrajectensis* factus fuit.

§. 14. & 15. *Henricus* hic, cujus diploma de anno 1230. adducitur, non fuit Imperator, sed Rex Romanorum a Patre & Imperii Principibus

bus electus & coronatus anno 1222. d. 8. Maii Aquisgrani, tandem ob rebellionem concitatam, & quod vitæ patris sui infidiatus fuerit, anno 1235. mens. Aug. Moguntia proscriptus Regno privatus, iterum Ratisbonæ sententia 70. Principum Parricidii, quod esset accusatus, condemnatur, & *Ottoni* Rheni Palatino, infensissimo ejus hosti, Heidelbergæ ad custodiendum traditus, tandem mandato Imperatoris in Apuliam ad carcerem perpetuum missus, ubi in Castro Cosentz miserè periit anno 1247. vel ut alii 1241. d. 20. Maii.

EPISTOLA V.

Leibnitius Kestnerum *poscit disquis. in Comp. Lauterb. Schutzianum.*

Qualemcunque de vestro in Brabantiam jure epistolam meam tibi non displicuisse, gaudeo, & gratum erit aliquando ex te discre, quid Cassellis aut alibi sentiant. Interea rogo, ut si commodum est, aliquot exemplaria dissertationis tuæ ad me destinare velis. Quæ ad Jurisprudentiam emendandam, illustrandamque moliris, & subinde producis in publicum, non possunt non perutilia videri: Et sanè compendium *Lauterbachio-Schutzianum* materiam disquisitionum optimarum præbere potest. *Dabam Hanoveræ 5. Junii 1709.*

EPISTOLA VI.

I. De Leibnitii annotat. in diss. de jure in Brabant. II. de Ejusd. epistola ad Abbat. Molanum. III. de Kempero Medico.

I. Gratias ago, quòd exempla aliquot dissertationis tuæ præclaræ de jure in Brabantiam Hassiaco ad me misisti: & gratum est, non omnino displicere in Aula qualemcunque Annotatiunculam meam. II. Mitto tibi nunc programma celeberrimi *Boehmeri*, Politicæ & Eloquentiæ in Julia nostra Professoris, cui inseruit Epistolam, quam ad Reverendissimum *Molanum*, Abbatem Luccensem, avunculum ipsius scripseram, de qua judicium tuum desidero. Quanti Serenissimum Landgravium faciant Fœderati, ostenderunt luculenter in articulis paci præliniaribus, dum juri ejus in Rheinfelsam, simulque per ipsum securitati publicæ consultum voluere.

III. Diu nihil intellexi de Dno *Kempero*, Medico Lippiaco, egregio Viro & præclara moliente. *Dabam Hanoveræ 27. Junii 1709.*

EPISTOLA VII.

I. Leibnitii definitio Justitiæ, qua efficaciorē non dari putat. II. Leibnitius Pufendorffium Jus nat. ad externa restringentem lacessit. III. Laus Hertii & Tolneri.

I. **P**uto tibi mecum convenire, cū justitiā colloco inter perfectiones divinas & distinguo a potentia, cū pendeat a sapientia & bonitate. Unde patet, justitiā non oriri ex præscripto superioris, nisi quis Deum, qui est summæ potentiæ, ut adeo superiore careat, ac puniri & in ordinem redigi non possit, ideo quidvis rectè facturum, atque etiam innocentem damnare posse arbitretur. Hinc porò manifestum est, universalem Juris scientiam non tantum ad res hujus vitæ non contrahi, sed nec restringi ad genus humanum; cū omnem substantiam intelligentem, & maximè Deum fontem æqui bonique, & ceteris mensuram complectatur. Est ergo justitiā perfectio sapientiæ conformis, quatenus persona se habet erga bona malaque aliarum personarum. Cuius equidem licet, Jurisprudentiam suam ad res humanas, solamque hujus vitæ considerationem restringere, quia & scientiam universalem mutilare per me cuius licet. Theologia naturalis, quæ existentiam Dei & immortalitatem animæ tradit, pars practica (de Christianismo, revelatione & iudicio extremo non loquor) revera Jurisprudentia est quædam divina.

II. Omnem virtutem nostram, quatenus aliorum interest, ad Jurisprudentiam pertinere dubium nullum est, ut patet ex definitione justitiæ, quam attuli, & quæ efficaciorē datum iri non puto. Ethicæ est docere virtutem: Jurisprudentiæ hunc quem dixi usum ejus ostendere. Politica Viro egregio *Jacobo Thomasio* non ineptè olim Jurisprudentiam & rationem status complectebatur; sed per me licet, Politicam strictiùs accipi de utilitate status, & a Jurisprudentia distingui. Opinio, quæ jus naturæ ad externa restringit, nec veteribus Philosophis, nec Jctis olim gravioribus placuit, donec *Pufendorffius* Vir parum Jurisconsultus, & minimè Philosophus, quosdam seduxit: Est ejus non magna apud me auctoritas, quum ferè popularia tantum de suo adferat, & in cortice hæreat. Etiam in foro sæpe interna per conjecturam indagare conamur, & ob interna jusjurandum adhibetur. Cetera epistolæ meæ argumenta non repeto, quum nihil iis reponi videam, & sanè plerasque objectiones ibi præoccupati deprehendet, qui attentè leget. Inclusas literas statim *Freitagio* misi.

III. Successio Brabantina a pluribus illustrari meretur. *Hertius* & *Tolnerus* sunt Viri egregii & rei pares. *Dabam Brunsvigæ* 21. Augusti 1709.

EPISTOLA VIII.

I. Leibnitiu*s* tenet virtutes internas a recta ratione doceri. II. Legum conscribendarum delineatio an a privato tentari possit disquirat. III. Agit de quæst. utrum & quat. præscriptio inter Principes Germ. habeat locum?

I. **C**Um modestia & gravitas sint inter laudes scriptoris, ego dictum illud audacius, (de quo nuper) expungerem, vel temperarem certè, si incudi typographorum reddendus esset juvenilis ille labor meus. Virtutes internas, pietatemque & probitatem animi, etiamsi revelatio abesset, a recta ratione doceri, manifestam arbitror: Legislatorisque prudentis est, dare operam, ut homines inde a pueritia ad virtutem non fucatam ducantur, nec tantum judici, sed & conscientiæ satisfacere doceantur.

II. Quod ad Leges attinet, vereor, ut eæ nostris meliores sint multo, quibus Angli, Gallique utuntur. Legum conscribendarum delineationem privatus prætentare potest, fortasse tamen e re erit, ut consulat complures in Reipublicæ administratione jurisque usu versatos, nec minus judicio & doctrina validos, ne res tanta non satis circumspectè agi videatur.

III. Quæstio, utrum & quatenus præscriptio temporalis inter Principes Statusque Germaniæ locum habeat, facilem decisionem recipit, si res mera ratione agatur: sed cum ad praxin & judicia imperii deveniendum est, scis etiam auctoritatem in consilium adhiberi: itaque sententiam auctoritatibus confirmari desiderabam. *Dabam Guelferbyti 18. Nov. 1709.*

EPISTOLA IX.

De codicibus MSC. Marq. Gudii bibliothecæ Guelferbyt. a Leibnitio vindicatis.

Singulari quadam infelicitate contigit, ut litteræ tuæ & Bierlingianæ disparuerint inter fasciculos meos. Itaque tarditatem respondendi ut excuses peto. Hac æstate usque in Holsatiam excursionem feci, redimendis pro Serenissimo Guelferbytano Duce *Marquardi Gudii*, insignis viri, Codicibus Manuscriptis, antiquis plerisque omnibus, & dignis, qui non dissiparentur aut e Germania exportarentur. Itaque nunc non spernendam partem faciunt Bibliothecæ Augustæ, ibique, ut spero, in usum publicum, & memoriam collectoris perennem conservabuntur. *Dabam Guelferbyti 24. Octob. 1710.*

EPISTOLA X.

I. Leibnitiu*s* commendat enodationes juris Keftneri. II. Hertium *JCtum* laudat. III. de Duce Brabant. IV. de virtutibus ad justit. univers. pertinentibus.

I. **M**ultas pro labore laudabili ad me transmissis gratias ago. Plurima præclare mones circa juris enodationem & multiplicium ambiguitatum rescissionem. Et quamvis nonnulla admisceantur altioris indaginis, in summa tamen plerisque accesserim; & quantum video principia tua non multum abibunt a meis, quod etiam epistola mea indicat, quam tuo operi adjicere dignatus es. Ejus pene dememineram; nihil tamen ei inesse video, cujus me poenitere debeat. Rem utilem feceris, si complura, quæ indicasti tantum aut perstrinxisti, distinctim exponere & elaborare perrexeris.

II. *Hertium*, Virum insignem, amissum doleo, nec video, quæ facile reparari jactura possit; quod nuper etiam illustris *Camezkius*, Consiliarius intimus Darmstadiensis, apud nos agens cognoscebat. Multam certè omnigenæ doctrinæ copiam cum insigni Juris peritia conjunxerat; sed plerumque tum demum homines nostra agnoscimus bona cum amisimus. Deum precor, ut te nobis diu servet.

III. Ni fallor, cum Principe Brabantiae, se Ducem ferente, non nisi coram tribunali imperii agi posset, cujus etiam forum ut Vasallus & Jurisdictioni obnoxius agnoscere tenetur, neque ea res ad exterum Regem pertinet, cum hic jure Regis Hispaniæ non utatur.

IV. Etsi virtutes ad justitiam universalem pertineant, non tamen semper actio forensis ex obligatione ad virtutem datur; itaque credo, nullum hic inter nos dissensum esse. Scis etiam, *Grotium* inter facultatem & aptitudinem distinguere. Quis auctor *des Reichs-Staats*, quem memoras? Quid facit Dominus *Kempius*? quem præveniet Batavus ex Oriente redux, Persepolitana amplè daturus, si diutius sua proferre ille differt. Eum rogo a me salutes, aut salutari cures. *Havelmanniana* per posthumam optimi *Wasserbachii* curam prodiisse intelligo. *Dabam Hanoveræ 9. Novembr. 1710.*

EPISTOLA XI.

I. *De allegationibus in controversiis juris.* II. *de Brocardicis.* III. *de parte Logica, qua verisimilitudinem gradus constituuntur.* IV. *de Brandii libello de vera & simulata Jurorum philosophia.* V. *de Thomasi origin. feudal.* VI. *Laus Hertii, & de Thomasi philosophia judicium.*

I. **D**istractus, atque itinere etiam Guelferbyitano impeditus, nondum ad novissimas tuas respondi, quod nunc facio, & pro transmissa dissertatione docta & utili gratias ago. Utiles sunt autorum in Juris controversiis allegationes, tum maximè cum de usu aut receptione legum aut consuetudinum quæritur; profunt etiam, cum lectorem ad scriptores remittimus, qui rem exquisitius tractaverunt; sed plerumque inanes & frivolæ allegationes apud Autores regnant.

II. Brocardica quæ vocant, vel sunt ipsa solida Juris principia, vel regulæ quædam topicæ: Priora necessaria sunt: posteriores utiles forent, si satis examinatæ, explicatæque haberentur: pertinent enim ferè ad facti quæestionem, artemque conjiciendi, ad quam refero etiam interpretandi artificium.

III. Ea verò pars Logicæ, qua sc. gradus verisimilitudinum & argumentorum pondera constituerentur, nusquam hæcenus reperitur tradita. Ego juvenis aliquando aggressus sum, sed per varia dissipatus, ferè intra voluntatem steti. Topica Aristotelis scopo meo non respondet. Congerit regulas, quæ occasionem aliquam præbere possunt de argumentis cogitandi, sed quæ non possunt docere, quantum cuique argumento aut judicio ponderis insit. Optarim inquiri apud amicos Hertii, nihil-ne ejus posthumum sperare liceat?

IV. Brandium autorem libelli, de vera & simulata Jurorum philosophia, olim videre memini, quando Wormatiæ agebat, Secretarius, ni fallor, civitatis, & libellum ejus legi, sed qui mihi paulo tenuior videbatur. Ceterum qui habeat, non novi.

V. Celeberrimus Thomasius in suis novissimis videtur mihi agere multo accuratius, quàm olim: Edidit nuper dissertationem eruditam de originibus feudalibus, in qua multa sunt optimæ frugis.

VI. Controversia ejus cum Hertio mihi planè ignota fuit, nec utrimque scripta vidi. Hertius sese in Jure Germanico publico versatissimum ostendit. Thomasius, si perget, qua nuper cœpit via in Historia Germanica, sese & alios multis dubiis expediet. Sed philosophia ejus adhuc sylvestris est, ut sic dicam, & archipodialis. *Dabam Hanoveræ 30. Januarii 1711.*

EPISTOLA XII.

I. De Kestneri *Diff. de valore Digestorum*. II. de Thomasio *judicium*. III. de *justo, latissimè & strictius sumto*. IV. Leibnitii *epigr. de Columba alba Guelferb.* V. de *ruinis Persepol.* VI. de *studiorum methodo Bierlingii.*

I. **D** iuturna absentia mea commercium nostrum literarium interrumpit. Nam & Berolini, & in Saxonia partem hyemis & veris egi. Reperio literis tuis additam dissertationem sextam de valore Digestorum, quæ mihi perutilis videtur, & docta; etsi, fortasse non ubique idem diciturus fuisset. Ubi absolutum erit opus, multum poterit prodesse studiosis.

II. *Thomasiانا* multum habent egregii, sed tecum sentio multa adhuc in eis moneri posse; quamquam fateor, mihi, aliàs occupatissimo, dogmata viri satis expendere non vacasse.

III. Ego olim in justos latissimè sumtos gradus distinxi, jus strictum, æquitatem, probitatem. Justum strictius sumtum credo tam jus strictum, quam æquitatem comprehenderit, probitas honesto respondebit: sed decorum ab his distinctum ab hominum opinione pendebit.

IV. Dominus *Eccardus* a me accepit historiolum de *Columba alba Guelferbytana*, unà cum hoc Epigrammate meo:

*Blanckenburgiaci Museo in Principis, orbem
Signat olivifero leta columba pede.
Hinc Scythiæ in campis, illinc Atlantis in undis;
Scilicet & natus utraque regna colent.*

Ille materiam hortatu meo eleganti carmine Germanico diffudit.

V. Dominum *Kemperum*, si nimis tardat, præveniet *Bruynius Batavus*, qui cum alia, tum ruinas *Persepolis* accuratè descripsit.

VI. De Domini *Meindersii* opere multa præclara nobis promitto. Elegantem libellum de studiorum methodo mihi misit Dominus *Bierlingius*: ego vicissim quasdam ei meas annotatiunculas mitto. *Dabam Hanoveræ 8. Julii 1711.*

EPISTOLA XIII.

I. De Kestneri *Papizante Jurisprud.* II. De Thomasi *irriganda ex Historiæ fontibus juris crimin. doctrina, & de jure constituendo, ut certius reddatur.*

I. **M** ultum profecto magis magisque tibi obstringis Cultores Jurisprudentiæ dissertationibus, quales nuper binas ad me misisti. Inprimis delectatus sum *Papizante Jurisprudencia*. Fatendum enim multum pontificum decretalibus debere hodiernam. Et ipse optimè observas multa addi potuisse. Canon *redintegrandus*, in quo fundant doctrinam summarissimi,

rissimi, quod vocant, possessorii, non parvi etiam momenti est. Perge, quæso, Rempublicam demereri tam luculentis opusculis, & exornare rationalem Jurisprudentiam. Etsi enim interdum diversum a te sentiam, non eo minus æstimo, quæ a te proficiuntur. Veniet fortasse aliquando tempus, reddita quiete publica, ut de emendanda Jurisprudentia cogitent potentes, & tunc curabuntur ista, quæ nunc negliguntur.

II. *Thomasius* noster nunc in irriganda ex Historiæ fontibus Juris Criminalis doctrina versatur, & specimen dedit, cui valde applaudo. Vellem interim, dum potentes aliud agunt; Jcti eruditi, prudentes, bene animati conferrent capita privatim, cogitentque de jure constituendo, ut reddatur certius, quàm nunc. Posset is labor præcludere Principum autoritati. *Dabam Hanoveræ 12. Aug. 1711.*

EPISTOLA XIV.

I. *De Comitiva Palatina.* II. *De Thomasi diss. de Concubinato, & de J. P. Ludovici opere in Auream Bullam.* III. *De Dn. Buddei Dissertat. de Origine Mali.*

I. **N**on memini, abs te a multo tempore recipere literas, præter nuperrimas, unde te valere, & mei meminisse, lætus intelligo. Jurisprudentiam tuam paganizantem, aliasque dissertationes, quibus hæc studia ornas, videbo lubens, ubi domum, Deo bene volente, rediero. Comitiva palatina nemini digno, & constitutum solventi hic denegatur: nec constitutum remittere ipse Imperator potest, damno Officiorum, nisi ipse in se solutionem recipiat, quod expetere longinquum & ambiguum foret. Elector Archiepiscopus Moguntinus unus potest *διοικουμῆν*, sed peculiari illius Aulæ gratia opus foret, & illic sic onerari remissiones aiunt, ut plerique a petendis illis absterreantur. Constituti modum in scheda adjecta sub Officii Taxatorii sigillo vides. Eam mihi attulit Dominus *de Dortmund*, qui se promptum rebus tuis juvandis ostendit, si quid hic desideres, & Domino Parenti tuo plurimum se tribuere confirmat.

II. Audio litem, nescio quam, Illustri *Thomasio* nostro cum Theologis de Concubinato fuisse. Sunt etiam, qui aiunt, doctissimi viri *Job. Petri Ludovici* insigne opus in Auream *Caroli IV.* Bullam mox proditurum. Ego ab ipso aliquid non vulgare exspecto, etsi enim sententiæ ejus soleant habere aliquid *παράδοξωτερον*, monstrat tamen doctrinam & curam. Perguntne præclari Viri in vicinia tua, Dominus *de Meinders* in Antiquitatibus Westfalicis, & Dominus Medicus *Lippiacus* in Amœnitatibus exoticis proferendis? *Dabam Vienna 1. Novembr. 1713.*

P. S. Plurimum me obstringes, si per otium methodum meam percurrans, quæ e re videbuntur particulatim adnotes; præsertim in juridica parte seu speciali.

III. Dn.

III. Dn. *D. Buddeus* dissertationem sub præsidio suo defensam de Origine Mali etiam ad me misit. Sed, ut verum fatear, auctor & respondens rem levi brachio tractavit, nec mihi ulterioris discussionis occasionem dedit, quod etiam respondi. Defendit etiam sententiam, meo judicio, planè absurdam, etsi *Puffendorfo* eam tueri in mentem venerit, justitiam non æternis veritatibus & rerum naturæ, sed voluntati & arbitrio nudo Dei legislatoris inniti. Qui ita sentit, non habet, cur de divina justitia tuenda sit sollicitus: nam talis Deus posset esse principium maleficum, & nihilominus dicendum foret, eum justè egisse, quia apud eum stare pro ratione voluntas & potentia. Et hic est despotismus quorundam supralapsariorum, meritò ab omnium ferè partium Theologis hodie profligatus, quem quum *Baylius* ex parte revocare velle videretur, librum ei meum opposui, ostendique, justitiam consistere in sapientiæ bonitatisque connubio, & hinc faciliè omnibus difficultatibus obviam iri posse.

EPISTOLA XV.

I. De *Kestneri* *diff. de valore Digestorum*. II. *Quòd Romani in omni genere doctrinæ Græcis cedant, excepta Jurispr.* III. *Quòd Romani ex pacto nudo simpliciter actionem non concesserint.* IV. *Leibnitius desiderat Novum Codicem Legum auctoritate publ. concinnandum.*

I. **C**Um id agas ab annis compluribus, ut jurisprudentia nostra emendetur, orneturque, & nunc per omnes *Digestorum Justiniani* libros usum, & ut appellas valorem, divini illius operis ostendas; meum certè applausum habes dudum, publicum haud dubiè habebis opere toto absoluto. Ego semper admiratus sum, scripta veterum Jureconsultorum Romanorum, quæcunque nobis sive in *Digestis* illis, sive alibi, velut ex naufragio *Tabulæ pretiosæ* supersunt.

II. Romani in omni genere doctrinæ Græcis cedunt. Ab iis Philosophiam, Medicinam, studia Mathematica mutuo sumserant, de suo vix quicquam magni momenti adjecerunt: in una Jurisprudentia regnant; hujus etsi semina a Græcis acceperint, inde tamen hortum excitarunt amplissimum pulcherrimumque, eaque in re una, omnes populos, quod constet, vicerunt.

*Excudant alii spirantia mollius æra,
Credo etiam vivos ducant de marmore vultus;
Tu regere Imperio populos Romane memento,
Hæ tibi erunt artes!*

Dixi sapius, post scripta Geometrarum nihil existare, quod vi ac subtilitate cum Romanorum Jureconsultorum scriptis comparari possit: tantum

tum nervi inest, tantum profunditatis. Et quemadmodum remotis titulis & cæteris operis integri indicibus, demonstrationem Lemmatis alicujus Geometrici ex *Euclide*, aut *Archimede*, aut *Apollonio* ægrè discernas, & ad auctorem suum referas; adeo omnium idem stylus videtur, tanquam ipsa recta ratio per horum virorum ora loqueretur; ita Jurisconsulti etiam Romani sibi gemelli sunt, ut sublatis judiciis, quibus sententiæ aut argumenta distinguuntur, distinguere stylum aut loquentem vix possis. Nec uspiam Juris Naturalis præclarè exculti uberiora vestigia deprehendas. Et ubi ab eo recessum est, sive ob formularum ductus, sive ex majorum traditis, sive ob leges novas, ipsæ consequentiæ, ex nova Hypothesi æternis rectæ rationis dictaminibus addita, mirabili ingenio, nec minore firmitate deducuntur. Nec tam sæpe a ratione abitur, quam vulgo videtur.

III. Et (ut exemplum afferam) quod ex pacto nudo simpliciter actionem non concessere, plus rationis habet, quam passim ab iis percipitur, qui Juris Naturalis Consulti habentur. Hominem verbis suis obligari cum nulla subest ratio obligandi, quod Synallagma appellant, vel ex animo donandi, vel ex deceptione, nasci debet: neutrum eoque porrigendum est, ut in magnum promittentis detrimentum cedat. Sanè qui ludificandi animo promissit, actione tenetur, sed tali, quæ affine aliquid habeat cum actione injuriarum, qua nos ab iis vindicamus, qui tranquillitatem nostram non tam nocendo, quam ægrè faciendo turbant, quod si verò non contemnendi animus, sed levitatis culpa inest, qua nobis illusit aliquis; scimus dari aliquam in eum etiam ex culpa actionem, esto ea inferiorem, quæ ex dolo conceditur. Itaque qui alterius promissis inaniter suspensus est, habet naturali ratione actionem, non qua simpliciter condicat quod sibi promissum est, sed qua se a ludibrio vindicet. Equidem in minoribus brevissimum est, ut reus a iudice ad promissa implenda adigatur: at secus se res habet, cum promissum rationis expers sine magno damno promittentis impleri nequit; quo casu, qui totum petit, etiam exceptione doli repelli poterit, cum ex alterius damno lucrum quærat. Hactenus ergo valebit ejus actio, ut obtineat, non quantum promissum est, sed quantum sufficit, ut haud impunè illusus videatur. Hæc sunt rectæ rationis dictata, Romani autem Jureconsulti ut hæc discutienda minutius, velut per averfionem deciderent, noluere ex pacto actionem dari, nisi solennitate quadam, aut alio legis adminiculo vestiretur. Cæterum ut exceptio ex pacto nudo daretur, magna etiam ratione constituerunt; ibi enim synallagma est in causa actionis, in quam pactum subit, atque, ut sic dicam, inde vestitur. Quæ cum ita sint, ne nostro quidem recepto jure simpliciter concedendum puto, ut homines ex imprudenti vel temerario promisso fortunis spoliarentur, & ut sic dicam, de statu honesti civis cum totius familiæ suæ ruina in miseriam dejiciantur: quod profectò æternis æquitatis rationibus repugnat; eaque nimia

nimia foret pœna peccantis, nimium præmium ingeniosioris vel fortunatioris, qui alterius stultitia vel infortunio in rem suam uti vellet. Ejusque exemplum in ludentium sponfionibus habemus. Sed hæc fusius deducere hujus loci non est. Attigi tantum, ut intelligatur, altiùs in hæc penetrasse Jurisconsultos veteris Romæ, quàm illis nunc videtur vulgo, qui neglecta Romanâ Jurisprudencia naturalem profitentur.

IV. Interea fateor optandum esse, ut veterum legum corpus apud nos habeat vim non legis, sed rationis, &, ut Galli loquuntur, magni Doctoris; & ex illis aliisque patrii etiam juris monumentis, usuque præfenti, sed in primis ex evidenti æquitate novus quidam Codex brevis, clarus, sufficiens, auctoritate publica concinnetur; quo jus multitudine, obscuritate, imperfectione legum, varietate tribunalium, disceptationibus peritorum, obtenebratum, & ad miram incertitudinem redactum, in clara tandem luce collocetur.

Huic operi tui, aliorumque egregiorum nostri nuperique temporis Jurisconsultorum labores præludere & prodesse possunt. Itaque ut in præclaris coeptis strenuè pergas, magnopere hortor. Vale. *Dabam Hanoveræ 1. Julii 1716.*

